



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De
Expedita Ad Dei Amorem Via**

Comalada, Miguel

Elvaci, 1685

Cap. VIII. De tertio Amoris gradu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

attendereque, quid dicam, quâ possum reverentiâ, devotione, amore & attentione illi assisto. Denique laudes, gratesq; illi ago pro cunctis beneficiis mihi & creaturis cæteris ab illo præstitis, eaque læpius ad memoriam revoco, illiq; recenseo, certus nimirum, nolle eum, ut ipsi ingratus, & donorum ejus immemor sim.

De tertio Amoris Gradu.

CAPUT VIII.

AMOR DEI. Tametsi jam primum amoris gradum, nempe ut Dominum meum diligam, id est, ipsum non offendam, itemque aliorum, ut cuncta illius jussa exequar, profecutus sum, non tamen his contentus sum, eò quòd meus erga illum amor tam ingens est, ut insuper tertium adhibuerim gradum, eum scilicet, ut cuncta illa efficiam, quæ illi placere & accepta esse noverim, vel cogitare

tare queam. DESID. Unde scis, ea te agere, quæ illi placeant? AMOR DEI. Duo sunt, unde id scire liceat, puta, si diligam, quæ ipse amat: & habeam odio, quæ odit. Quod ad primum attingit, ut diligam, quæ diliguntur ab illo, equidem illius amo Filium, utpote omnium, qui unquam fuerint, longè pulcherrimum, suavissimum, nobilissimum, ac sanctitate maximè conspicuum, Patrique per omnia, quàm simillimum, atq; adeò obtemperantem, ut nullus neque fuerit unquam, nec futurus sit filius æquè morigerus. Quem Pater haud secùs, quàm seipsum diligit, eò quòd multò ipsi similior sit, quàm ullus unquam filius suo genitori. Eaque unio & charitas, quæ est inter Patrem & Filium, tanta est, ut ambo non nisi unum sint, uniusque voluntatis, indissimilis potentia, ejusdem cognitionis. Et quamvis personis distincti sint, sed essentia unum sunt. Huic autem Filio pius Pater suæ bonitatis manibus

vestem, qualem ovium Pastores habent, confecit, quâ indutus Filius, ex Patris Regis penetralibus processit, at nihilominus semper cum illo permanens. Atque hoc pacto in his degit ædibus, nobiscumque conversatur. Siquidem aliter eum conspiciere non possemus. Porro hac veste indutum, cum eum Pater cum sportella quadam, sive perula viatoria, per totum orbem mitteret, in hanc quoque eremum pervenit, ut oves suas dispersas ac dissipatas requireret. Cumque per hanc pergeret solitudinem, Dominus Pater permisit eum necari à lupis, & devorari à canibus, nec ei opem ferre voluit, licet potuisset: sed crudelissima ac acerbissima, eum morte voluit à lupis affici, quæ illi longè majorem, quàm ulli unquàm alteri cruciatum attulit, eò quòd terrerrimo corpore, utpote Regis filius, esset. Hæc autem omnia Dominus noster ex immenso erga nos amore fecit, uti omnes, qui in ejus demo-

ramur ædibus, illius charitatem habeamus cognitam & exploratam, atque ita vicissim & nos illum amemus, quando prior ipse nos dilexit adeò, ut nec proprio suo pepercerit filio, sed pro nobis omnibus tradiderit illum. Dum hæc Amor DEI commemoraret, Desiderius totus corde compunctus & transfixus, ubertim lachrymas fudit. Atque Amor DEI cœptum persequens sermonem, quamvis, ait, DEUS Pater Filium hunc suum morte affici permisit, nihilominus tam impensè illum amat, ut immensâ Omnipotentiâ suâ citò eum excitârit è sepulchro, multò jam illustriorem, ac præclarè triumphantem, adductis scilicet secum ovibus, quas quæsitum venerat, aliisque in hac eremo, ut interim sui cognitione pascantur, & pinguescant, relictis, perpetuam ac pervigilem illarum agens curam & sollicitudinem. Ita demum in Regis Patris reversus penetralia, ad ejus sedet dexteram, pro nobis omnibus il-

lum interpellans & supplicans, nimio scilicet nostri devictus amore. Equidem sic sentio, nisi illius causâ parcitum nobis esset, jam pridem his tectis profligati essemus: in tantum miseri ac improbi sumus; adeoque negligenter ac pigrè illi servimus, ejusq; planè obliviscimur, eum contemnimus, & tam parva nobis illius cura est & recordatio. Sed Pater Omnipotens tantoperè hunc amat Filium, ut meo judicio nihil in hoc mundo gratius illi esse queat, quàm ut secum quis hunc ipsum suum amet Filium. Quapropter operam dare soleo, illum ut amem, & quæ illi placeant, faciam. *DESIDER.* Quid est, quo illum amas, eiq; rem gratam facis? *AMOR DEI.* Videlicet illius vitam sanctissimam, laboresq; & dolores, mortem acerbissimam, sacrasque institutiones commemorando, & quoad possum, moribus illius me conformando. Quem enim Dominus meus Filij sui vitam studiosius ac

veriùs imitari conspicit, eum etiam
 chariorem habet. Atque hac de cau-
 sa voluit eum venire ad nos, nobis-
 cumque degere, ut, quemadmodum
 vivendum sit, nos edoceret, qui priùs
 vitam nihil à beluina differentem
 agebamus. Itaque ceu speculi loco
 nobis eum Dominus proposuit, ut,
 quisquis nôsse volet, utrum ea, quæ
 vult, agit & omittit, bona vel mala
 sint, in Filij sui vita ceu speculo con-
 templetur & cognoscat. Neq; quic-
 quam totus habet orbis, unde certiùs
 id addisci queat. Est autem & aliud
 quiddam, quod Dominus meus dili-
 git, nempe Puer meus, qui Amor
 Proximi dicitur: quem usque eò
 Dominus meus charum habet, ut
 quicquid illi fecerimus, sive id bo-
 num sit, sive malum, id se affirmet
 haud aliter accepturum, quàm si ipsi-
 met factum sit. **DESID.** Quinam
 hunc puerum diligis? **AMOR DEI.**
 Perinde ut meipsum. Primò quidem
 ita mihi persuadeo, meliorem eum
 esse,

esse, quàm sim ipse ego : & quamvis excellentiori fungar munere , tamen in omnibus, quæ sunt virtuti consentanea, illi morem gero. Caveo etiam, ne qua ratione illum affligam aut contristem, & quicquid possum amoris ac benevolentia in illum declaro. Nihil de illo sinistram suspicor , sed eum potiùs excuso, Nihil improperando illi loquor : vitia & defectus ejus naturales libenter dissimulo & perfero. Miseratione multa animiq; condolentiâ illum in malis prosequor. Absenti non obloquor nec obtrecto, & ab aliis quibusvis id fieri non sino. Opto & precor , ab illo Dominum meum , quàm à me, amari vehementiùs , & aut perinde bonum, ut sum ego, aut si malit, etiam me meliorem illum à DEO effici. Nullâ prorsus , neque ob spiritalia , neque corporalia dona illi divinitus præstita , neque ob aliquid eorum , quæ mundus habet , erga eum invidentiâ torqueor : sed bonis ac pro-

spe-

vis illius rebus lætor, atque adversis & malis ex animo doleo. Adhuc, cogito illum esse Angelum DEI, me verò indignum, qui illius mancipium sim. Idque eâ causâ facio, quòd certus sim, illum à Domino meo vehementer amari. Itidem amore prosequor ea, quæ communitatis sunt, quorum ingens me zelus obtinet, eò quòd ad Domini mei cultum, famulatum & honorem, atque ad Domûs suæ conservationem pertineant. Unde cura pervigili id ago, ne quid amittatur vel pereat, ex iis maximè, quæ ad sacræ religionis, cæremoniarum, constitutionum, & Canonis ipsius observantiam pertinent. Quæ licet quidam non magnipendant, tamen ipse planè persuasum habeo, nisi gratum esset DEO ea servari ac retineri, neutiquam Spiritum sanctum ea fuisse instituturum. Itaque etiam minimas quasque cæremonias observandas duco, cogitans, eas cedere ad cultum & honorem DEI: & qui-

qui-

quidem promptè libenterque omnium cum humilitate ac reverentia eas ser-vo & perago. Atque hanc interim cogitationem animo gero, siquidem ipse Dominum meum non honorem, studioseque colam, & officiosè inserviam, grandi que honoris & cultus ac famulatùs ejus zelo detinear, quis tandem id facturus sit, quando ego præ creaturis omnibus illi me obligatorem sentio? Quòd si principum & Magnatum famuli dominis suis tam accuratè, tantoque studio & animi attentione obsequuntur & serviunt, quidni & ipse Domino meo inserviam, qui me suum cubicularium & familiarem esse voluit? Nimirum si totus ab ejus servitio deficiat mundus, nec quisquam supersit, qui ei inserviat, equidem ad extremum usque spiritum ego illi fidus perseverabo.

